

cituros esse; eosdem inimicos amicosque habituros &c.
 (b) ita notari merentur, quae ex Antiquitate refert CORNELIVS à LAPIDE ad i. Petr. III. pag. 293. quod vide-
 licet superiori aetate illi, qui Christianam fidem suscep-
 perant, dum sacro sancto regenerationis lauacro tinge-
 rentur, erecto vultu coelum adspexerint, dextram in fu-
 blime erexerint, ac praesentibus testibus iuriandum
 dederint; quam religiosam affirmationem baptizandus
 postea subscipserit manu propria, annuloque obsignau-
 rit, ac certis denique tabulis ad perpetuam memoriam
 annotari curauerit. Inprimis baptizandi exclamare so-
 lebant: ἀποτάσσομαι τῷ Σωτῆρι, καὶ συντάσσομαι Χριστῷ qua
 eleganti formula CHRYSSOTOMVS adeo delectaba-
 tur, ut Homil. I. in epist. ad Ephesios dicat: Τι χαρέσεγον
 τῶν ἐημάτων; quid verbis illis gratiōsūs, per quae abrenuncia-
 mus Diabolo: per quae in militum Christi numerum adscribimur?
 Idem profecto sacramentum, mutatis quamuis paulisper
 ceremoniis, nos omnes, qui baptizati sumus, per suscepto-
 res nostros praestitimus, renunciaimus maligno spiri-
 tui, perpetuum ipsi bellum indiximus, ac adunatis viri-
 bus a Duce nostro Christo delegato nobis militiae officio
 nos defuncturos esse promisimus. Nostrarum iam est
 partium, prouinciae facere satis, ac mandata curare pari-
 ter atque confidere. Pulchre BERNHARDVS in med.
 deuot. c. 14. col 1201. Quoties resistimus, Diabolum supera-
 mus, Angelos laetificamus, Deum honorificamus. Ipse enim nos
 hortatur, ut pugnemus; adiuuat ut vincamus. Certantes in
 bello spectat, deficientes subleuat, vincentes coronat.

§. IV.

Secunda ratio, cur militare Deus suos iubeat, est:
 ut miseriam captiuitatis suae addiscant, nec laeta in his terris
 atque quieta otia sibi promittant. Vita hominis est militia,
 iam

(b) Conf. IOH. CONRADI DANNHAWERI Lac Catechet.
 Part VIII. p. 196.